



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

3 Quid Prudentia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)



JOANNIS RODINGI ETHICÆ
LIBER PRIMUS, DE
PRUDENTIA.

CAP. I.

Quid Ethica?

Ethica, est doctrina honestè vivendi.

Ad honestè vivendum proponitur *Virtus*.

CAP. II.

Quid est quotuplex virtus?

Virtus, est habitus animi, secundum quem honestè vivitur.

[Unde Cicero ait honestè vivere nihil aliud esse, quàm cum virtute vivere.]

Eaque prudentiæ contemplatione aut fortitudinis, temperantiæ, justitiæque actione continetur.

CAP. III.

De Prudentia.

Prudentia, est virtus accuratè perspicere.

spiciens id, quod in unaquæque actione decet.

Unde illud,

Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

Sic prudens Josephus fuit, dum id, quod è re *Genes. cap. Pharaonis fuerit, prudenter perspexit, hocq; 41.* consilium illi dedit, ut virum aliquem multarum rerum scientia præditum seligeret, quem Ægypto præficiat, quò is constitutis annonæ curatoribus, quintas in Ægypto septem annis proximis uberibus legat, quibus annis tantus frumenti numerus cogatur, ut in oppidis conditum seruetur, & in alterum septennium sufficiat, & Ægyptum à summa fame, pernicieq; defendat. Cui consilio etiam Pharaon obtemperavit, & Josephum omnium prudentissimum esse respondit.

Nec Romanis talis prudentia defuit, unde primum annonæ præfectum Lucium Minucium creatum esse Livius tradit. Laudant historici Trojanum, cujus provisione factum est, ut Romæ frumentarius canon septem annorum esset. Laudatur similiter Septimius Severus, qui moriens septem annorum canonem frumentarium reliquit. Mamertinus in Panegyrico Julium Imperatorem singularis laudis encomio extollit, quòd undique coemptis frumentis ad opulentiam usque jam esurientem urbem referferit.